



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXIV. ad annum CCCXLVI.

Parisiis, 1644

XXX. Nulli Christiano licere, cum mulieribus lauacra exercere.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15072

XXIV.

Quoniam non oportet altari deseruientes a presbyteris vsque ad diaconos, & deinceps ordinis Ecclesiastici omnes vsque ad ministros, aut lectores, aut psaltes, aut exorcistas, aut ostiarios, aut etiam eos qui in proposito continentia sunt, tabernas intrare.

XXV.

Non oportet ministros panem dare, nec calicem benedicere.

XXVI.

Non oportet exorcizare eos, qui necdum ab Episcopis sunt prouecti, neque in Ecclesiis, neque intra domos.

XXVII.

Non oportet ministros altaris, vel quoslibet clericos, aut etiam laicos, ad agapen vocatos, partes tollere, propter iniuriam qua ex hac occasione Ecclesiastico ordini possit deputari.

XXVIII.

Non oportet in Dominicis seu Ecclesiis agapen facere, & intus manducare vel accubitus sternere.

XXIX.

Non oportet Christianos iudaizare, & in Sabato vacare, sed operari eos in eadem die, Dominicam præponendo eidem diei. Si hoc eis placet, vacent tamquam Christiani. Quod si inuenti fuerint iudaizare, anathema sint.

XXX.

Quoniam non oportet ministros altaris, vel etiam

clericos quoslibet, aut continentes se, aut omnem omnino Christianum, cum mulieribus lauacra habere communia. Hæc est enim prima apud gentiles reprehensio.

XXXI.

Quoniam non oportet cum omnibus hæreticis miscere connubia, & vel filios vel filias dare, sed potius accipere; si tamen profiteantur, Christianos se futuros esse Catholicos.

XXXII.

Non oportet hæreticorum benedictiones accipere, quoniam istæ maledictiones magis sunt, quam benedictiones.

XXXIII.

Non oportet cum hæreticis vel schismaticis orare.

XXXIV.

Non oportet Christianum derelictis martyribus Christi, abire ad falsos martyres. Hi enim alieni a Deo sunt. Quicumque autem abire voluerint, anathema sint.

XXXV.

Non oportet Christianos derelicta Ecclesia Dei abire, & angelos idololatriæ abominandæ congregationes facere; quæ omnia interdicta sunt. Quicumque autem inuentus fuerit occulte huic idololatriæ vacans, anathema sit: quoniam derelinquens Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, accessit ad idola.

XXXVI.

Quoniam non oportet ministros altaris aut cle-